



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 3. Vtrum fruitio sit tantùm vltimi finis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

propriè dictā, potest tamen ei superuenire nouus motus auerisoris vitalis ex præsentia mali, qui specie sit distinctus à priore nolitione: posset tamen generatim vocari nolitio, quia est vitalis aueratio à malo præsenti.

Obiecitur Tertio, Omnis actus voluntatis est in eius potestate: sed delectatio & tristitia non sunt in potestate voluntatis: ergo, &c.

Respondeo, Omnem actum voluntatis in hac vita, qui fit ex perfecto rationis vnu, esse quidem in potestate voluntatis, sed mediatae vel immediatae, non autem immediae: vt patet in electione

Quomodo gaudium & tristitia snt in nostra potestate.

medij necessarij supposita efficaci intentione. Itaque tristitia & delectatio, et si non sint immediae in potestate voluntatis, sunt tamen mediatae. Posto enim amore alicuius boni, & illius boni præsentia, necessariò resultat gaudium & delectatio. Et positò odio alicuius obiecti, & eius præsentia, necessariò emicat tristitia. Sed hæc necessitas solum est ex suppositione alicuius rei, qua est in mea potestate. Si enim tollam amorem & odium, vel cogitationem aliò diuertam; tollam etiam gaudium & tristitiam.

## ARTICVLVS II.

Vtrum frui tantum conueniat natura rationali, an etiam bruis?

4  
Frui natura rationi competit per se.

Prima Conclusio. Perfecta fruitio soli naturæ rationali competit; scilicet Deo, Angelo, homini. Ratio est, quia fruitio est quædam vitalis inhalatio appetitus in bono præsente propter ipsum. Atqui sola natura rationalis distinctè cognoscit rationem boni, cuiusque habitudinem ad subiectum: ergo, &c.

Brutis imperfectis.

Secunda Conclusio. Brutis non conuenit ratio fruitionis nisi imperfectè. Ratio est, quia non cognoscunt rationem boni nisi confusè; non enim cognoscunt proportionem & conuenientiam, quam habet cum subiecto, & sitne propter se, an propter aliud conueniens.

Notandum est, Fruitionem, id est, gaudium & delectationem nasci ex tribus, ex potentia, obiecto, & coniunctione obiecti per aliquem actum vitalem, vt per cognitionem intellectus vel sensus. Vnde sequitur, ceteris paribus eod maiorem esse & perfectiorē fruitionem, quod aliquid horum trium perfectius fuerit; & consequenter perfectissimam esse ex visione Dei. Nam hæc nascitur in suprema potentia, ex supra coniunctione boni supremi. Si enim tanta est delectatio appetitus sensitiū ex bonis infinitis per sensum apprehensis, quanta erit in appetitu supremo, ex infinito bono, visione beatificâ nobis unito?

## ARTICVLVS III.

Vtrum fruitio sit tantum ultimi finis?

5  
Fruitio est ultimi finis propter se.

Prima Conclusio. Fruitio propriè tantum est ultimi finis.

Probatur, Quia fruitio propriè designat quietem voluntatis in aliquo bono delectabili. Atqui voluntas in nullo bono perfectè quiescit nisi in ultimo; scilicet, post quod non sperat aliud;

quamdiu enim aliud sperat, non sicut sit, sed est inquieta, donec obtinuerit quod censem sibi ultimum esse obtainendum. Hoc modo D. Aug. passim utitur nomine fruitionis, vt lib. 83. qq. q. 30. cùm ait, *Omnem humanam perversionem esse, fruendis virile, & viridis frui. Et lib. i. de doct. Christ. c. 3. vbi dicit, Tantum fruendum esse Patre, Filio & Spiritu sancto.*

Secunda Conclusio. Quodam tamen modo re-  
Ecclesiastis 12. 13.  
Etè dicimus frui quoquis alio bono, quod propter aliorum bonorum. diligimus, etiamsi non habeamus illud pro ultimo fine.

Probatur, Quia omne tale bonum habet in se unde delectetur, & voluntatem in se quiescere faciat, si non omnino, certè in præfenti negotio, & in præfenti intentione, in qua est ultimum. Confirmatur ex D. Augustino l. i. de doct. Christ. c. 4. vbi dicit: *Frui est amore inhabere alicui rei propter se ipsum.* Fruimur ergo omni bono, quod propter se diligimus; si illud præsens habeamus. Sic dicimus frui amicis & amicorum confortio, contemplatio cœlesti, lectione Scripturarum, & similibus. Aduerte tamen, si illud bonum quo fruimur, non sit in se honestum, talem quoque fruitionem non fore honestam. Talis enim est delectatio, quale est bonum quo delectamur.

Dices, Delectatio est tantum de bono delectabili: atqui bonum delectabile distinguitur ab honesto tamquam diuersum génus boni; ergo nulla delectatio per se & intrinsecè est honesta, neque versatur circa bonum honestum.

Respondeo, Omne bonum honestum adamatum Bonum honestum adamatum est. esse delectabile, & in sua intrinseca ratione includere vim delectandi, unde si præsens fuerit, causabit delectationem. Colligitur ex D. Aug. l. i. delectabile, de doct. Christ. c. 33. Cùm adest, inquit, quod diligitur, etiam delectatione secum gerat neceſſe est. Ratio est, quia delectatio nascitur ex præfenti boni adamati, qualcumque illud bonum sit, siue delectabile tantum, siue honestum. Vnde quando bonum diuiditur in honestum & delectabile, per delectabile intelligitur, vel quod solum delectabile est, & non honestum; vt sunt bona sensibilia; vel solum ista membra ratione distinguuntur: nam ipsa bonitas honesti est delectabilis, & eius delectatio est bonum honestum; neque haec rationes per villam potentiam possunt separari.

## D V B I V M.

Vtrum etiam medijs fruamur quatenus media sunt?

R Espondeo & Dico Primo, Si frui accipiatur ut id sit quod cùm delectatione vti, (quomodo definitur à D. Augustino lib. 1. de doct. Christ. c. 33.) rectè dicimus frui medijs; etiam ut media sunt. Ratio est; quia propriè vtimur medijs, & ex illorum vnu percipimus delectationem: sic dicimus frui hereditate, opibus, domo, conforto, &c. etiamsi haec non amentur propter seipsa: sed solum propter vitæ commoda, quæ per ea comparantur.

Notandum tamen, vsum mediiorum non adferre delectationem ratione bonitatis intrinsecæ (qua bonitas medijs intrinseca, sicut nec amatur propter se, ita neque delectare potest per se) sed solum ratione bonitatis finis, ob quem bonitas medijs amatitur. Confirmatur, Quia tota bonitas

G ij quæ est

*Media per  
se non sunt  
objecum  
delectatio-  
nis.*

quæ est in medijs vt media sunt, nihil est aliud quām utilitas eorum ad finem, seu efficacia quam habent ad finem comparandum: sed hæc efficacia non est amabilis nisi ob finem: ergo nec delectabilis nisi ratione finis. Patet exemplis. Medicina enim non delectat, neque gaudio afficit, nisi ratione sanitatis, quæ in illa apprehenditur: pecunia non delectat, nisi quatenus in ea, tamquam in virtute cause apprehendimus nos habere huius vitæ commoda.

*Apostolus  
ad Phila-  
monem.*

Dico Secundò, Si frui accipiatur, vt idem sit, quod quiescere in aliquo bono propter se adamato (quod est propriè frui, vt accipit Aug. lib. 10. de Trinit. c. 10.) sic non dicimur villo modo frui medijs, vt media sunt; quia non quiescimus in illis, sed vltre iùs tendimus vt ibi quiescamus. Nec obstat illud Apostoli ad Philæmonem, Ita, frater, ego te fruas in Domino, sensus enim est, fac vt fruar tuo beneficio in Onesimo, quod beneficium erat ignoscere Onesimo, & illum bene tractare. Hoc

enim Apostolus censebat sibi ipsi fieri. Itaque hic locus ad præsens negotium nihil facit.

#### ARTICVLVS IV.

*Vtrum fruitio sit solum fi-  
nis habiti?*

P Rima Conclusio. Fruitio perfecta non est nisi finis iam perfectè obtenti. Probatur, quia fruitio perfecta est quies animi perfecta in bono: atqui animus non quiescit, nisi sine perfectè obtento: ergo, &c.

Secunda Conclusio. Fruitio imperfecta est sine imperfectè obtento, scilicet obtento in spe. Probatur, quia qui habet spem obtainendi, iam aliquo modo censetur habere finē, habet enim eum in medijs, per quæ sperat, tamquam in causis: vadet Apostolus ad Rom. 12. Spe gaudentes.

### Q V A E S T I O X I I .

#### De Intentione.

##### ARTICVLVS I.

*Vtrum Intentio sit actus  
voluntatis?*

*Intentio,  
vnde dica-  
tur.*

*Intentio  
quid.*

C Onclusio. Intentio est actus voluntatis. Probat D. Thom. ab etymo nominis. Intentio enim dicitur ab eo, quod est tendere ad aliquem terminum seu finem; atqui tendere in finem pertinet primò ad voluntatem; nam voluntas ceteras etiam animæ vires in finem dirigit: ergo intentio est actus voluntatis. Idem probari potest ex nominis vsu. Intendere enim lucrum, sanitatem, honores, iuxta communem vim loquendi, nihil est aliud quām velle hæc per aliqua media consequi: atqui velle consequi, est actus voluntatis: ergo.

Hinc patet, Intentionem ex parte rei nihil esse aliud, quām desiderium efficax, id est, quo quis ita desiderat aliquid consequi, vt ex vi huius desiderij mouatur ad executionem.

Dices, Intentio est tendentia voluntatis in finem per certa media: atqui desideriū non includit certa media; ergo distinguitur à desiderio.

Resp. Nō est de ratione Intentionis vt expreſſe contineat volitionem certorum mediorum; sed sufficit vt implicite contineat volitionem mediorum in genere. Confirm. Quia intentio est causa electionis mediorum; sicut assensus principiorum est causa assensus conclusionis: ergo est prior volitione mediorum, ac proinde non magis includit volitionem mediorum, quām desiderium efficax.

*Intendere  
finem &  
efficaciter  
sum velle  
Grc.  
eadem  
funt.*

Hinc sequitur, eadem esse, intendere finem, efficaciter velle, aut amare, aut desiderare finem, Efficaciter, inquam, id est, eo modo, vt ex vi illius volitionis vel desiderij, mouaris ad executionem: vnde Graeci non habent proprium nomen, quo exprimant actum intentionis; sed vocant eam βούλησιν, id est, Volitionem, θρεψίν λογικήν, id est, appetitum rationalem, & πρόδοσιν, propositum.

Vide Aristotelem 3. Ethic. c. 2. & Damascenum lib. 2. de Fide, cap. 22.

Notandum in Respons. ad quartum, finem, id est, bonum quodvis per se amabile, posse tripliciter spectari. Primo, Vt est præsens; sic versatur circa illud fruitio. Secundo, Vt est absens, per aliquam tamen media comparandum; sic versatur circa illud intentio. Tertio, Secundum se nude; sic versatur circa illud amor, vt est primus affectus, seu prima boni complacentia, quæ etiam voluntas dicitur. Itaque tres actus versantur circa finem tamquam obiectum. Medium vero per se non potest nisi vno modo spectari, scilicet vt est vtile ad finem obtainendum. Esse autem absens vel præsens, est illi commune cum fine.

##### ARTICVLVS II.

*Vtrum Intentio tantum sit  
ulti finis?*

C Onclusio est, Intentionem circa quemuis finem versari posse, non tantum circa ultimum. Ratio est, quia quodvis bonum per se amabile, potest esse terminus motus voluntatis; ac proinde si per media potest comparari, potest intendi.

##### D V B I V M.

*Vtrum Media quatenus habent rationem boni  
villis, possint intendi?*

R Espondeo, Propriè loquendo, non posse sic intendi. Ratio est; quia motus voluntatis non sicut in medijs, neque in eorum intrinseca bonitate seu utilitate: sed vltreius tendit in finem, & in eo sicut: atqui illud duntaxat intenditur in qua motus voluntatis sicut, vt in termino. Quare in omni volitione, vbi vnum medium appetitur, propter aliud medium, v. g. cum vis acire medicum, propter pharmacum; pharmacum sumere, ob euacuationem; euacuationem facere ob sanita-